

Dum parat omnino Christi delere sodales:
Ecce catervatim pueri innuptaeque puellae,
Et sancti patres et casto pectore matres
Intereunt: miseri ferro flammisque necantur,
Iactatique feris mediâ moriuntur arenâ:
Viscera dilacerant, turba clamante, leones.
Hic de infelici vepallidus arbore pendet
Affixus clavis: pice fumans uritur ille:
Pro Christo duris animas cruciatibus efflant.
Undique terra gemit, respondet flebilis Echo;
Undique nigrantes glomerantur in aethere corvi,
Dum levis exsultat miserorum sanguine Roma.
Iam cives celebrant multo convivia Baccho;
Urbs insana sitit circenses atque cruentem.
At vero stragem pia filia Caesaris horret;
Quin ardescit amans: manet imo corde reposta
Divini pueri species et gratia vivax:
Nec potuit mulier dubiis obsistere curis.
Vesper adest: fugit maerentia lumina caelo,
Purpureasque videt fluitare per aëra nubes:
Sanguine terra rubet; late trahit aethra ruborem.
Cauta sub obscurum noctis clam limina linquit,
Egrediturque silens, unâ comitata puellâ.
Festinat tacite, ricos plateasque pererrat;
Turpes devitat strepitus servosque procaces.
Interea caelum tonat et micat igne repente.
Corda timore micant, dum fulgor prodit euntes.
At resonat querulis ululatibus amphitheatum:
Vincla recusantum ferit aures ira leonum,
Qui deserta feri cupiunt lucosque silentes.
Sic pudibunda vias perlustrat femina Princeps,
Iamque venit rapido trepidans ad vincula cursu.
Alloquitur breviter custodem: lampade sumptâ,
Ille vigil ducit sinuosa per antra puellam.
Anxia tum mulier per inextricabile pergit
Curriculum latebrasque memor circumspicit atras.
Lenta per ambages graditur, quâ ducitur aegre
Halitus, et dirum spirat gravis aura venenum.
Quantus in his scrobibus languor! Mors incubat atra:
Hic miseri caveis imis mediisque sepulti
Christicolae lugent: lacrimarum depluit imber:
Dat gemitus ingens miserandaque turba dolentum.
Insignes pietate viri stant pectore firmo,
Gaudent aerumnis socioque dolore fruuntur.


(Ad proximum numerum)

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

Pontifex mortuus est!**Habemus Pontificem!**

PIUS X P. M.
vita functus d. XX mens. Augusti MCMXIV.



BENEDICTUS PP. XV
electus d. III mens. Septembribus MCMXIV.

Alma Roma vix nata, grandi moerore perculsa, luget, multumque lugebit. Etenim Pius X, Pontifex Maximus, eius Auctor et Maecenas, praeter omnium expectationem, inter suorum lacrimas diem obiit supremum!

Alias, transactis proximis mensibus, adversa ipse usus valetudine, suspensos Italiae animos universarumque gentium tenebat; sed illico, quem meliuscule se se haberet, et valida mente totisque nervis ad interrupta munera sui officia rediret, orbem terrarum in eum studiose conversum, ob sanitatem mirum in modum recuperatam, exhilarabat. Verum, sub lucem diei vigesimi Augusti, repentina iterum morbo interceptus, quem sanctissimis religionibus perfunctus esset, vitae finem placide aspicere potuit.

Iosephus Sarto natus erat Riese in agro Tarvisino, humili loco, anno octingentesimo quinto et trigesimo supra millesimum. Quum esset experrecto ingenio, adnitentibus benefactoribus, scholas frequentare potuit, quarum curriculum rapide atque egregie emensus est. E pueris egressus, in Patavino Seminario studiis alacriter vacans, ad maiora se vocatum esse omnibus portendit. Sacerdos egregiis moribus praeditus, curionis munus mature suscepit, deinde inter Tarvisii canonicos adlectus est, et mox Mantuae Episcopus honestatus; Venetas demum petiit Patriarcha et Cardinalis. Vindex veteris disciplinae ubique, alacritate ac mira prudentia, omnium in se oculos benevolentiamque convertit, et praeclarum se praestitit magnarum virtutum exemplar. Impigre ad pietatem populos excoluit, et maximi consilii per omnes temporum vicissitudines ac rerum, humana semper ut mortalia, divina ut immortalia aestimavit. Spectata fide in religionem, perpetua in egenos liberalitate illustris, defuncto Leone XIII. anno millesimo noningentesimo tertio, die IV mens. Augusti, praeter omnium opinionem est, Deo auctore, Pontifex Maximus renuntiatus.

Pontificatum suscepit incredibili christiani Nominis laetitia, sed maxima sui animi anxietate. Namque nihil admodum neglexit, ut electoribus suis persuaderet, ne ipsum yellent ad tantum honoris onerisque fastigium evehere.

Quum vero primum ad gubernacula rerum sedit, non *dubiae spe pendulus horae*, quis esset subito et quo progrederetur, omnibus facile ostendit. Verba sancti Pauli Apostoli mutuatus, eo omnino spectavit, ut in nomine Iesu Christi omnia inter mortales pro viribus instauraret. Mirum sane quod prae ceteris, princeps inter Pontifices Maximos, instituit, ut, e vetustissimo christianorum more, pueri vel a prima aetatula, dummodo satis essent rerum divinarum experti, primum sacra de altari litare possent. Res nova ac poene incredibilis multa admodum atque contraria consilia levavit; sed postea sensim sine sensu omnes nedum amplexati hanc sunt Pontificis sententiam, sed admirati. Quin imo adeo haec sancta institutio placuit, ut mox apud omnes Pius X., honoris amorisque gratia, *Pontifex puerorum vulgo adpellaretur*.

Mirum in modum se gessit, quum duae italicae urbes, Rhegium atque Messana, terraemotu prope obrutae sunt, quorum orphanos pie adoptavit, et omnibus admirantibus, cura sua atque impensis liberaliter in collegia coegit eosque ad pietatem, ad studia, ad artes excoluit. In Urbe vel rebus omnibus destitutus, ut rebus religiosis in populum studeret, adsidue, ampliatis civitatis moenibus, nova templa aedificanda curavit, sumptus plerosque suppeditavit, aliaque exornavit, dum pauperes effusa liberalitate alendos suscepit. Ut ad veterem disciplinam alumnos sacrorum informaret atque ad pietatem morumque sanctitatem, auctis magisteriis, praemiisque studiorum iuventuti propositis, seminarium ad Sancti Ioannis, Urbis et Orbis capititis, aere suo aperuit. Benefactis in genus humanum collatis, dies pontificatus vere computavit. Perpetuus pacis auctor, domi concordiam ci-vium fovit, foris atrocias bella deprecatus est, ob moerorem fato cedere visus, quando, inter horrentes armorum strepitum, uti populos e civili sanguine prohiberet intentiones eius in vanum cesserunt.

**

Si vero Pontifex obiit, nunquam tamen usque ad consummationem saeculi Pontificatus deficit: Petrus enim, id est idem semper Christus et Spiritus Sanctus, cum Ecclesia sua stabit aeternus. Dum itaque PRIMUM hodie tanto cum luctu deflemus, iam vere BENEDICTUM in nomine Domini venientem, IACOBUM DELLA CHIESA, Bononiensem Archiepiscopum, ad supremum Ecclesiae gubernaculum evectum, gestienti animo licet Christianis nobis consulutare.

*Auspicium felix! Orientis personat oras
Vox missa e caelo, personat occiduas:
Una fides Christi, Pastor regat unus ovile:
Dispersas gentes colligat unus amor!*

De electione Iacobi Della Chiesa in Petri solium Alma Roma iure meritoque tamquam de intimo gaudio gratulatur: summus enim nunc Pontifex Benedictus XV, sanctissimi antecessoris sui invitationem mature sequutus, nomen suum inter primores Commentarii Socios priusquam hic ederetur ultro dedit. Quod fortunatum, bonum faustumque nobis siet!

PIUS PP. X paucis diebus ante mortem
“Almae Romae,, iterum benedit.

Cum Pio X P. M. proxime una fui Idibus Iuliis ad meridiem, pridie quam Urbanum domicilium cum Tusculano pro tempore, nempe aestivo, commutarem. Vix apud Eum assedi — non enim genuflexum aliquem immorari patiebatur — de rebus meis, in primisque de *Alma Roma* me percontatus est. Obtuli Ei huius commentarii fasciculum tertium illo die editum, quem Ipse per volvere coepit studiose; quumque ad *Fridiani* caput illud pervenisset prima que verba legisset, elata voce gestuque ad comicam, ut ita dicam, serietatem composito, (erat enim eo die insueta et animi et corporis alacritate): — Memini omnia ego! — repetivit. — Quid igitur de suscepto hoc opere mihi narras?

Tum ego emensi itineris gressus enumerare, litteras innumeratas atque acceptas, fasciculos speciminis gratia per orbem latissime diffusos, nec ipsas deceptiones tacere, quibus etiam in timorem inducerer, ne amplius heu! nunc percipiatur passim, quantum latinitatis vinculum Christianae humanitati eidemque ecclesiasticae doctrinae integrat sit conlaturum.

— *Haec quae cor tuum agitant* — moestus Ille inquit — *ego decem et ultra annos quotidie ingemisco!* — Attigit hic summatim quae ad malum coercendum pastoralis Eius sollicitudo cavit pluries; quumque ad recentes litteras ventum est de studiis philosophicis ac theologicis motu proprio datas, egoque casum revocasse, cui obiter paucis ante diebus testis adfuisse, unde etiam demum consequeretur fore ut sacrarum disciplinarum alumni, non a puro fonte sed a versionibus scientiam suam haurientes, ne ipsam quidem percipient signi-

ficationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur, Sanctus Pontifex assentiens vehementer conclusit: « Macte igitur nova tu semper virtute: in proposito enim insistendum omnique animi contentione et ardore perseverandum. Tuis sociorumque laboris tui conatibus benedicet Omnipotens, quemadmodum ego vobis, et *Almae Romae* patronis atque subnotatoribus omnibus iterumque benedico! »

Haec, quae ad amussim referre studui de *Alma Roma* verba postrema amantissimi Patris, qui ad alia tum conversus, — in primisque ad pueros, numero prope quadragesimos, in horribili illo terrae motu Calabro-Siculo parentibus orbatos, quos in ephebeis Romae ac per Italianam passim suo sumptu altos, meae curae suo nomine iamdiu demandavit, — humanissime, uti solebat, ac familiariter me, uxorem, liberosque meos, deinde accessitos, per horam circiter apud se retinuit.

Redivi ad Parentem dulcissimum, quando iam magnus eius spiritus ad Superos migraverat, eiusque ad funebrem lectum non meridianam, sed nocturnam integrum horam tacitus lacrimansque transegi. Defunctus vero adhuc mihi loquebatur, Eiusque verba, quae ultima ab eo audiveram, quasi testamento tradita menti meae obversabantur animumque confirmabant. Postrema illa benedictio a caelo renovari mihi ab Eo visa est, perseverantis operae stimulus, omen et signaculum victoriae.....

JOSEPHUS FORNARI.

Pii X Pont. Max.
in latinum sermonem cura et sollicitudo

Hac in rerum perturbatione, quum reges populique armis et sanguine ad sua negotia intendunt, *ille unus Princeps pacis*, mundo tanti Principis indigno denegatur, qui, ex Beati Petri solo, sempiternae pacis regna ingreditur. Cuius virtus, omnes homines vel etiam inimicos, de Eo bene audire iubet, nec uno verbo tanti Pontificis virtutes perstringere fas est. Sunt qui paternum amorem, sunt qui eius *franciscanam* (ut loquendi mos est) eximiam paupertatem laudibus extollunt; nonnulli animum de se minime sentientem, integrum ac pium, imperterrita fide suffultum omniaque in Christo restaurantem commendant; nos vero, non indignam Viri curam ac sollicitudinem de latini sermonis gloria, commemorandas censuimus.

Ad Urbis ac Sedis pontificalis decorum non est qui non videt, post Romanis nominis magnitudinem ad nos usque, quantam latinus sermo dignitatem contulerit. Nam latino sermone usus, civilem cultum, artes, negotia, populus Romanus ubique terrarum invexit illaque semina depositus, quae suo tempore uberem fructum afferre debebant. Reliquis vinculis dissolutis, semen illud unum exstitit vinculum inter homines natura, cultu, loco dissidentes, gentesque omnes ad Urbem matrem et caput, vincitas deditasque concessit.

Qua de causa nec Babylon, nec Thebae, nec ipsae Athenae clarissimae quandam urbes unde militaris gloriae, artium, literarumque specimina effulserunt, qua

(1) Operae pretium est eas hodie repetere. Sunt enim tenoris, qui sequitur:

« Vehementer sane dolemus quod accepimus linguam latinam in quibusdam Semi-

de causa, inquam, nullam in subiectos populos prorsus vim exercuerunt, ipsisque deletis, eorum quoque memoria, ni rerum historicarum cura subveniat, penitus oblita fuit? Quo ignoto numine Urbs Roma a reliquis clarissimis urbibus nec solum defuncti aevi, sed nostrae quoque aetatis, discriminatur?

Lutetia Parisiorum, Vindobona, Berolinum frequentes ac fama notae urbes sunt quae animos alliciunt; sed quis sanus dixerit eorum sollicitationem cum Urbis Romae esse comparandam?

Latino cultu ac sermone factum est ut omnes populi, sine ira et sine odio, in *Almam Romam* veluti in matrem dulcissimam, exoptatam, oculos animosque intenderent.

Quae latini sermonis gratia si nullum alium, minime vero Pontificem Pium X latuit, eique apprime curae fuit ut scholis latina institutio demandata, in dies ubiores fructus afferret. Latina lingua constanter utitur illa Pontificalis sedes, in qua Petri claves sunt custoditae, ac Roma *quidquid non possidet armis, religione tenet*; ad universum itaque eius morale imperium universalis latinæ linguae usus perbelle adnectitur. Sed nostris temporibus, ut in superioribus fasciculis disserui, latinus sermo minus colitur, quae pestis etiam nostrorum Seminariorum septa violavit; qua de rem summus Pontifex Pius X valde commotus, ne ulcus in dies cresceret, totis nervis ac viribus enitus est.

Insigne documentum huius sollicitudinis praebent, praे ceteris, litterae Apostolicae a Sacra Studiorum romana Congregatione datae iam ab anno MDCCCVIII (1).

nariis ita negligi, ut a disciplinis non solum Philosophiae et Iuris Canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui

Sed ne verba exemplo carerent, quum illa nobilis *Vox Urbis* quae Romae latina lingua edebatur, nescio qua infirmitate laborans e vita cessit, Pius X sollicite ac brevi effecit ut lamentabile damnum sareiretur, fuitque auctor ut quo citius novum hoc Latinitatis praeconium, *Alma Roma*, vulgaretur. Exstat rei documentum illud quod ipse sua manu exaravit omnesque huius commentarii lectores norunt, in quo non solum ephemeredem *magnopere* commendavit, sed scriptoribus ceterisque ad eam evulgandam provehendamque opem et subsidium quoquo modo conferentibus, *benevoli gratique animi* testem Apostolicam benedictionem amantissime impertivit.

Sed eadem Pontificis mens iterum iterumque recentissime patuit ex litteris

subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas animum applicaturi sunt, maximum afferit detrimentum.

« Ipsi quidem omittimus quantopere et expetenda et colenda ea esset a Clero — cui litteratum esse nunquam dedecuit — quippe quum latinae litterae secundum graecas ceterarum sint fons et fundamentum. At illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadvertisi volumus, linguam latinam iure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat precatrices, Sacrum facit omnesque sacros ritus et caeremonias, quas Liturgia praescribit, exequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et sacra Consilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt.

quas die XXIX elapsi mensis Iunii dedit « de Philosophicis Theologicisque studiis ». Postquam de re philosophica atque theologica ad mentem Aquinatis reducenda conservandaque doctissime disseruerit, ita pergit: « Nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae in Universitatibus, Magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent ex apostolico induito potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, summam theologicam S. Thomae tamquam praelectionum suarum textum habeant, et *latino sermone* explicent... ».

Quae quidem latini sermonis sollicitudo ex eo quoque causam praecipuam repetit, quod non solum agitur de oratione ad omnes usus ac significationes iamdiu apta, sed etiam quod argu-

« Sed praeterea lingua latina cum Philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Quum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quae vocatur aetate usque ad totum saeculum XVIII eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de Theologia, sive de Iure canonico, sive de ipsa Philosophia et magistri in iisdem docendis disciplinis.

« Quapropter, quum ex his quae diximus satis appareat summa sacrorum alumnis huius linguae cognitione opus esse, hoc S. Consilium Studiis regundis etiam atque etiam hortatur cum magistros, ut ad normam Constitutionis Leonis PP. XII *Quod divina sapientia*, tit. VI, cap. 82-84, hac lingua disciplinas tradant, tum discipulos, quo alacrius pleniusque, secundum litteras encyclicas *Depuis le jour*, die VIII mens. Sept. an. MDCCXCIX a Summo Pontifice Leone PP. XIII datas, in huius linguae studium incumbant, prout sacra studia potissimum apud Archigymnasia requirunt. ».

menta tanta dignitate illustria, vulgari eloquio pene deminuta atque subacta videantur.

In hac Pii X Summi Pontificis, nuper cum tanto omnium luctu defuncti, vere dignissima contentione, omnes igitur boni adlaborent maximeque cordi habeant, ne per socordiam atque insciatam irrita unquam evadat.

Doct. ALEXANDER AURELJ.

Pius X latinae poëtice cultor

Defleto Pontifici parum arrisisse poemam latinam, nonnulli arbitrantur; hitemen toto caelo a veritate aberrant. Quo enim tempore iuvenis Iosephus Sarto in humaniores disciplinas incumbebat, sermo latinus, cum solitus, tum numeris adstrictus, multo magis, quam nunc fieri solet, in gymnasiis et Clericorum seminariis colebatur et in honore erat. Huicque studio, non secus ac ceteris omnibus, Iosephus noster operam dedit libentem et diligentissimam: quod quidem testantur carmina latina quae tum concinnavit, quaeque secum, uti scribenti constat, in aedes Vaticanas comportavit. Nec etiam Mantuanus episcopus omnino a scribendis versibus abstinuit, quamquam severiores tum curae eius animum occupabant. Specimen huiusmodi carminis epigramma illud sit, quod ob centenaria solemnia Aloisio Gonzaga tributa in voti formam conscripsit:

*Sospitet Angelicus caelesti rore iuventam,
Extollit fervens quae thura precesque Ticini.*

Senex etiam et Pontifex, Pius X latinae prosodiae leges memoria retinebat accurate; et varia carminum genera, vix sibi oblata, propriis designabat no-

minibus: cuius rei, qui haec scribit, non semel testis fuit. Is quoque ante triennium, quum sua edidisset « Tentamina poetica », veniam accepit dedicandi librum benignissimo Pontifici, qui id auctori significare dignatus est Literis apostolicis, paternaे benevolentiae plenis.

Huc item pertinet aliud factum, quod aliquanto uberior referre licet. Anno proxime elapo, propinquante mense Martio ac festo Sancti Ioseph, cuius nomen Pius X in baptismo acceperat, clementer admissus sum in conspectum Pontificis, cui obtuli (quod singulis consueveram annis) carmen gratulatorium. Quo Ille perfecto, subridens ait: « Habeamus et Nos, quod tibi demus vicissim »; simulque pervolvere coepit amplam chartarum congeriem ante se posuit. Quum tamen rem quae sitam non reperisset, accepto calamo, descripsit in charta pura, lingua italica, lineas octo, addita nominis subscriptione. Tum ad me conversus: « Verte inquit — haec latine, numeris utens ». Scire autem iuvat, paulo ante Romam venisse Archiepiscopum Rotomagensem, Praesulem nempe illius urbis Rouen, in qua B. Ioanna de Arc tradita fuerat flamnis. Qui quum adiisset Pontificem eique significasset, velle se, in honorem novensilis Beatae, ingens conflare aës campanum, in turrito templo suo cathedrali collocandum, simul eumdem rogavit, ut in sacro aere chrismate ungendo munus Patrini suscipere dignaretur. Quod sacram officium Pius X libentissimo animo suscepturum se declaravit.

Haec igitur Pontifex memorata voluit in oblato mihi scripto, cui, domum ego reversus, operam dedi vertendo; eiusque sententias his reddidi distichis:

*Urbs, ubi flamarum fuit olim praeda Ioanna,
aes late resonum nunc sacrat innocuae.*

*Aeri sacrando DECIMUS PIUS adsumus ultro
Sponsor, ut Antistes Rotomagensis avet.
Aenea vox, erumpe potens, teque audiat omnis
Gallia, cui redeant pax et avita Fides.*

Quum tamen innuere videretur Pontifex, inscriptionem in aere campano esse caelandam, placuit alia ratione, etsi minori fide, vertere Pontificia verba, ipsam scilicet aeneam vocem inducendo loquentem. Quae interpretatio, ubi, in quarto versu, onomatopoeia ultiro enata est, ita sonat:

*Urbs me Rotomagus turrita in sede locavit:
aenea sum proles, magna Ioanna vocor.
Chrismate tineta, PIUM dum sum mihi nacta
[Patrinum,
haec recino: « Petri, Gallia, vive memor! »*

Utramque interpretationem mox venerando Pontifici remittendam curavi, qui tamen illis ipsis diebus in morbum inciderat, quo impeditus fuit, superiore anno, vel Purpuratorum Patrum gratulationes in festum nominale coram excipere. Nunc autem eheu! pallida Mors, quae aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres, dilectissimum nobis eripuit Pontificem, vetuitque ultra Ecclesiam lugentem regeret, neque etiam officium Patrini apud Rotomanenses exerceret.

FRANC. X. REUSS.

In funere Pii X P. M.

*Ut atra nox est! Occidit, occidit
Sol ille, purae lucis et ignae
fons caritatis, nuncupari
qui voluit DECIMUS PIORUM.*

*Flet iure tellus, orba potissimo
Fautore pacis, dum furit undique
immane bellum, quale nunquam
ulla prior memoravit aetas.*

*Haec filiorum, se iugulantum
immensa strages te, Pater, ultimo
conficit ictu; ferre, vivus,
non poteras tot ubique caedes;
sed te triumphans, quae vacat hostibus,
civem recepit Patria caelitum.*

*Hinc a periclis perge natos,
perge vigil trepidos tueri.*

*Pacem serenam gentibus impetra,
quas ira caecas fecit et effera;
Desistat heu! pro rore caeli,
sanguine terra bibax madere.*

*Aedes superbas tectaque pauperum
tormenta cessent bellica sternere;
messem vorax non urat ignis,
nec terat ungula trux equorum.*

*Quae vota nuper tu pia fuderas,
adversa bellis, funde, potentior
nunc deprecator, provolutus
ante thronum Triadis Supremae.*

*Sacris et urnis par tibi prodeat
Haeres Tiarae, cui fera praelia
arcere detur, quemque vita
longa beet, meritisque plena.*

Scrib. Romae, xi Kal. Sept. MCMXIV.

FRANC. X. REUSS.

Quam egregie de philosophica ac theologia doctrina meritus sit Pius PP. X.

Qui philosophiae historiam attente legerit, id in comperto habebit, etsi rarius, quandoque a summi ingenii viris nonnulla inveniri atque induci principia, quae totum philosophiae humanarumque disciplinarum campum pervadunt, ac mirifice immensa quadam luce colustrant.

Ita, narrante Aristotele, ubi Anaxagoras hoc nuntiavit generi humano principium, videlicet in natura ipsa, non se-

cus ac animam in animalibus, pervagari intelligentiam, quae causa mundi est atque ordinis in eodem refulgentis, tunc, addit Philosophus, ipse solus visus est non insanire, atque genus humanum quasi e profundo somno evigilare.

Haud secus ipse Aristoteles, ubi inter plura alia, statuit actum ipsi potentiae necessario antecedere.

Ita est in Scientiis naturalibus; quandoque nonnulli docti homines v. gr. Newtonius, Copernicus, Pasteur, etc. sua in suo genere invexerunt praedecessissima effata, ex quibus innumerae immensaeque consequentiae profluxerunt.

Neque aliter res sese habet ubi de erroribus agitur. Nonnulli siquidem nascuntur aliquando errores quibus negligantur veritates minoris comprehensionsis, vel consequentiae remotae atque male ductae ex principiis altioribus, vel circa contingentia quaedam facta. Qui errores, etsi semper damnabiles, attamen minus perniciosi sane habendi sunt. Alii vero occurunt quandoque errores, qui circa prima principia versantur tum in speculabilibus, tum in practicis, qui que graviores et turpiores habendi sunt, eo quod multa inde simulque infusa fluant consecaria (1).

Cuiusmodi fuit hisce temporibus qui vocatus est *Modernismus*, seu *error modernisticus*, qui quasi omnium errorum atque haeresum collectio merito dicendus est. Contra quem errorem duo praestitit Pius X Pontifex: aliud directe, indirecte aliud.

Directe quidem duplex imprimis emanavit documentum, primo nempe *Decretum Lamentabili*, die III mens. Iulii MCMVII; deinde Bullam *Pascendi*, die VIII mens. Septembribus eiusdem anni, simulque iussit errores modernisticos a sacerdotibus omnibus eiurari.

(1) 22^{ae}, q. 154, n. 12; Mal. q. 3. a. 13.

In Decreto *Lamentabili* sexaginta quinque errorum capita a Sacra Inquisitione, iubente Pontifice, damnantur, siquidem — ait Pontifex, — « dolendum vehementer, inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores, qui praetergressi fines a Patribus et ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine, cum dogmatum progressum quaerunt, qui reipsa eorum corruptela est... ». Hincque notantur errores praecipui, « qui inter fideles sparguntur », ne « in animis radices figant, ac fidei sinceritatem corrumpant ».

In Bulla vero *Pascendi* errores in praedicto decreto notati et conficti penitus enculeantur in suis radicibus et natura: quod fusius Pontifex prosequitur investigaturque per varios errorum anfractus et sinus: « Quia, — ait — modernistarum callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem seiunctas, ut nimirum ancipites et quasi vagi videantur, quum e contra firmi sint et constantes, praestat doctrinas easdem uno heic conspectu exhibere primum, nexumque indicare quo invicem coalescent, ut deinde errorum caussas scrutemur, ac remedia ad averruncandam perniciem praescribamus.

« Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas, ac veluti in se commiscere: philosophum nimirum, credentem, theologum, historicum, criticum, apologetam, instauratorem: quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consequitionesque pervidere velit ».

Hisce positis, Pontifex insulsas Modernistarum theorias de agnosticismo, de

immanentia vitali et sub-consciousia de-
tegit atque castigat, tum in se ipsis, tum
in consecatriis perniciosissimis, atque toti
scientiae christianaee infestis, non secus
ac ceteris disciplinis.

Quum nobis haec omnia in compen-
dium redigere non liceat, nisi nimium
imminuantur, hinc iterum atque iterum
hortamur ut quisque cordatus legat et

In bellicosa Europae conflagratione

*Belligeris Europa omnis iam fulgurat armis
Latura infandum gentibus excidium.*

*Ingeminat lacrymas pacisque Sequester ad aras
Nos Pius hortatur fundere vota Deo,*

*Ut Qui terrarum dominator ludit in orbe
Imperio rerum fata hominumque regens,*

*Compescat bellum, securae et munere pacis
Det, praeeunte Fide Iustitiaque, frui!*

Mediolani, Idibus Augustis MCMXIV.

CAESAR MAMBRETTI.

meditetur, confiteaturque a Pontifice
dicta non modo in se perspicua, sed
etiam factis apprime respondentia.

Hoc unum notatum volo, nempe, iu-
dice ipso Pontifice, ea omnia deliramenta,
ex falsissima philosophia consequi. Ea
videlicet philosophia est quam invexit
Kantius, quaeque non modo Germanos
passim ipsos, sed etiam alios quosdam
ubicumque in transversum egit.

Kantius videlicet, cui nova dicere

potius quam vera curae fuit, sese, pro
innata atque inepta superbia, ut alterum
melioremque Copernicum mundo
exhibit. Ut enim, ait ipse, prior Co-
pernicus errorem nostrum patefecit de
caelorum apparenti motu, ita ipse Kan-
tius manifestatus erat errorem com-
munem de cognitionum certitudine,
asserens, inquam, cognitioni nostrae sub-
iectivae, non nisi incer-
tum respondere obiectum.
Unde scepticismus univer-
salis emanat. Germanus
quippe philosophus, ut
homines illuminet, eosdem
caecos facit.

Dum enim in veteri ve-
raque philosophia id ha-
bes, innatum nempe omni-
bus hominibus esse desi-
derium veri cognoscendi,
verum non esse ceterum
aliud quam conformitatem
quamdam intellectus cum
re cognita, ita ut scientiae
obiectum non sit nisi idea-
lis repraesentatio mundi
realis, animaque sciens
quasi speculum omnium
cognitorum evadat; dum
hanc haberi scien-
tiam posse, quia, dum sen-
sus res externas appre-
hendit, intellectus simul ex-
citatus in iisdem id quod

suum est obiectum, videlicet esse ideale,
intelligibile, essentiale, deprehendit: ita
ut homo ubi, v. gr. solem unum videt
duo simul percipiat, nempe hunc solem
nostrum, atque simul essentiam solis in
astris diversis multiplicabilem in inde-
finitum. Hinc omnis scientia est factum
subiectivum simul et obiectivum.

Ita philosophi veteres, praemissique
Sanctus Thomas. Kantius e contra, sen-
sum communem omnium praefracte of-

fendens, voluit cognitionem et scientiam
non esse nisi factum quoddam subiecti-
vum, absque facto obiectivo seu realitate
obiectiva. Dum Thomas voluit omnem
cognitionem in perceptione sensitiva in-
choari, atque in intellectu perfici, Kan-
tius e contra in perceptione sensitiva
stetit, intellectualem ablegavit.

Hinc scepticismus, hinc modernismus
versipellis, cuiuscumque nominis sit.
Quae falsae philosophiae principia, dum
omnium disciplinarum dominium infi-
ciunt, doctrinas omnes non perturbant
et deturpant modo, sed prorsus peri-
munt, omniaque deliramenta inducunt
atque necessaria faciunt.

(Ad proximum numerum).

I. BERTHIER, O. P.

Varia latinitas

ANTH. LAT. I, 112, 7:

Daedalus adstruitur terras mutasse volatu.

Lectio quam codd. exhibent, est *ad-
struitur*; ego vero crediderim legendum
esse *adseritur*. In hoc enim lepido et
dulci epigrammate «de funambulo» mira
arte confecto, ne dicam caelato, quod
nescio quid illius rationis sapit quae
Alexandrina appellatur, postquam poëta
nos edocuit quanam in re virtus vel pe-
ritia funambuli consistat, illam Daedali
fabellam initit, qui sibi alas paravit, et
funambuli exemplo alte se suspendentis
ac librantis facile utitur ad veritatem
fabulae daedalicae affirmandam:

*Praesenti exemplo firmatur fabula mendax:
Ecce hominis cursus funis et aura ferunt.*

Quum autem in funambulo descri-
bendo, quaedam res commenticia op-
portune ac nulla eruditiois quaesitae

ostentatione, inseratur, censeo narratio-
nen magis decere verbum *assere* sive
adserere (utroque enim modo dicitur),
quam *adstruere*; eo magis quod quacum-
que significacione ac vi accipi vult ver-
bum *adstruere*, sensus, ni fallor, deest.
Quid enim significat: *Daedalus adstrui-
tur terras mutasse volatu?* Contra si le-
gerimus *adseritur*, res erit facilior intel-
lectu: Daedalus dicitur (= asseritur) etc.;
quod, meo iudicio, apte quadrat in ea
quaes sequuntur.

Ne idem vero epigramma praeteream,
pentametrum:

*Ne lapsu facilis planta rudente cadat
malim ita legere:*

*Ne lapsa e gracili planta rudente cadat,
ut iam quidam vir doctus coniecit. Le-
ctio gracilis invenitur in codd. BV; et
mihi potior videtur ad naturam condi-
cionemque funis reddendam, per quam
debet labi funambulus, corpore librato;
eo magis quod altero in epigrammate, at
breuiore, de eodem argumento, via —
accipe allegorice funem — per quam fu-
nambulus incedit, dicitur angustior et
subtilior planta (= vola, imis pedibus):*

Cui latior erat planta quam semita.

Manifesto, epigrammati superioris
auctor *gracilitatem* vel *subtilitatem* funis
respxit (1).

M. GALDI.

(1) Quod ad confirmandum, possumus af-
ferre epigramma vel potius aenigma cuius-
dam *Symphosii* scholastici:

*Inter luciferum caelum terrasque iacentes
Aera per medium docta meat arte viator,
Sema sed brevis est, pedibus nec sufficit ipsi.*

Etiam hic agitur de brevitate (gracilitate)
rudentis.

COMMUNIA VITÆ***De corporis exercitationibus.***

Scripsit iampridem Palingenius :

*Exercere etiam corpus mediocriter apto
Tempore, conductit multum; nam causa
[caloris]
Est motus, stomachumque iuval, roburque
[reducit,
Humoresque super vacuos putresque resolvit.*

Neque id immerito; motum enim ad sanitatem multum conferre nemo ibit negatum. Quum autem motum dicimus, omnis generis exercitia intelligimus, ambulationem, cursum, saltum, equitationem, ventionem, navigationem, et cetera huiusmodi.

Apud veteres quinque exercitorum genera in laude erant posita: cursus, lucta, pugilatus, saltus, iactus disci, saxi et iaculi; qui in his exercitiis excellebant, hi dicebantur *πένταθλοι*, seu « quinquetiones ».

Ceterum, motus de quo loquimur, membris nostri corporis aliquam soliditatem affert, calorem nativum auget, spiritus movet et agitat adeoque *δυσπάθειαν* aliquam inducit, quando corpora, quae exercitiis et laboribus induruerunt, externis iniuriis non facile sunt exposita, ut ad auram frigidiusculam, vel urentem solis radium, illico Herculem *ἀλεξίκακον* implorent, quemadmodum illi qui otio liquescunt et cum Sardanapalo mollitiem curant.

Motum comitatur expeditum virium nutrimentum, quia calorem excitat, qui digestionem et appositionem promovet. Adminiculo motus suscitatur vis expultrix, quae facit, ut corpose exsulet quidquid putrescere et sanitati clam insidias moliri poterat; quarum quisquiliarum saborram ii colligunt, qui instar testudinis semper domi vitam agunt, in plumeisque stragulis vivi sepeliuntur. Notum enim est adagium illud: « Putrescunt, ni moveantur aquae ». Quia vero exercitorum magna est diversitas, quorum quaedam

non omnia corporis membra aequaliter exercent, sed nonnulla magis afficiunt seorsim — (exempli gratia, cursus exercet crura, remigatio brachia, etc.) — eligenda universim præ ceteris illa sunt, quae, quantum fieri potest, totum corpus uniformiter moveant. Quamobrem medicorum alpha Galenus parvae pilae lusum commendavit, de quo libellum aliquem in lucem edere et postgenitis relinquere voluit. Sed sphaeristerium etiam cum globis et annulo ferreo, quod hodierno in usu est, laudem suo iure meretur; itemque illa ludi species, quae pilam reticulo mittit ad locum destinatum intra quatuor parietes; atque exercitium illud, quo folliculus coriaceus, aëre repletus, brachiali ligneo in aërem propulsatur; et similia.

Refertur inter exercitia saltatio; non quidem circulatorum, quae impetuosa corporis agitatione periculosa aliisque ineptiis indecora merito censemur; sed quae modesta, promovetque concinnam membrorum corporis compositionem, agilitatem, ipsamque morum elegantiam motumque decorum.

Natandi quoque exercitium sumponere laudatur, maximeque utile evadit illis corporibus, quae humectationem ac refrigerationem postulant.

Praetereo alia motus genera, equitationem, venationem, etc. ne tributi spatii fines excedens, generalia pracepta praeterire cogar.

Quia inter exercitia quaedam reperiuntur vehementia ac laboriosa, quae-dam mediocria, nonnulla levia, in rem erit ut quisque, priusquam iis se dedat, terreni sui tabernaculi constitutionem et conditionem pensiculatus perpendat. Nam corpora robusta et carnosa facile ferunt exercitia vehementiora; at graciliora moderata eligant ne vires deicientur, dissipentur spiritus et in calidioribus temperamentis accendantur; nam huius temperamenti homines potius ad udorem quam sudorem moveri oportet, hoc est moderate et tamdiu, donec cum florido colore rorida quaedam intume-

scentia in corpore deprehendantur. Ex quo iterum emergit illud: « Aestate breviorem, decembribus autem horis diurniorem exercitationem esse commendabilem ». Scilicet aestate exercitia sub umbra, *patulae sub tegmine fagi* instituta, merito illis praferuntur, quae in libero et aestuoso aëre sub sole suscipiuntur: haec enim humores fundunt et corpus nimis calefaciunt; quod præ ceteris observabunt illi, qui saepe caput dolent.

Nec denique nauci hoc aestimandum, quod exercitia prandio et coenae sunt praemittenda; alias calor dissipatur, concoctio turbatur, et cibi semicocti e ventriculo abitionem maturant; hinc cruditati et variis morbis via sternitur. Interea tamen lenis deambulatio non proscribitur post pastum, quae efficit ut cibi sensim sidant ad ventriculi fundum; id quod est in rem bonae digestio-nis. Inde Salernitanae scholæ praecep-tum illud: « Post prandium stabis, aut lento pede ambulabis ».

Ut tandem concludam, et in hoc genere auream quisque amet mediocritatem, ne motus violentia malis semitam aperiat, aut inerti quiete torpescat et contabescat. Alternis, contra, vicibus ab iis præsertim qui studiis vacant, qui busque præ ceteris prospexi has notulas scribens, quies et motus decenter excipiantur: « adamant alterna Camoenae ».

DOCTOR HAVER.

NOSTRAE RES**QUAESITIS AD REFERENDUM
RESPONSIONES.**

Patroni H. P. litterae magis quam nostras interrogationes, lectores commoverunt; ac præsertim circa caput de *Roma Sacra* expungendum. Digladiantur hinc inde partes, tamen sine unius aut alterius praepollenti vi. Quam-

quam conservationis fautores acrius ob-sistunt. En exempla.

L. P., sacerdos Canadensis, ait: « Qui festinam et inter multas occupationes agimus vitam, non sine utilitate paucis constrictas verbis videmus sententias, quae in Commentario officiali S. Sedis et in Commentariis dioecesanis aliisque huiusmodi integre relatae sunt atque diutius incassum nos immorantur. Noli igitur eas omittere ».

Item A. T. ex Viterbiensi dioecesi; imo is incongruentiae H. P. arguit, quippe qui « dum sectionem de praecipuis per orbem cuiusque mensis eventibus repetit, *Romam Sacram* vult suppressam, quod notitiae in ea contentae facile reperiantur in aliquo alio scripto. Nonne, e contrario, totius orbis eventus scriptos reapere invenimus ac legimus quotidie omnes in actis diurnis? ». Qui abrogationi autem favent, G. C., Londino, atque A. P. ex California, suffragium suum simpliciter afferunt.

At maioris momenti nobis visa est epistula quae sequitur, et ipsa rogationes H. P. respiciens; imo, quum diurnum gravemque nostrum laborem non incassum ire indigitet, non parum solaciū attulit. Iudicent lectores.

Ios. BRIZI Mod. *Almae Romae*, s. p. d.

Nullus fortasse istius commentarii so-cius me iunior est; ago enim ego quar-tum supra decimum aetatis annum, ac nondum a schola illa secundi ordinis excessi, quam veteres « rhetoricen » ap-pellabant. Ad te, Moderator optime, hanc epistulam mitto haud superbia impulsus, sed invitatione tua, ut socii omnes opinionem suam proferrent de quaestionibus ad referendum propositis. Ceterum, nonne patronus H. P. ipse iuvenes et pueros in causam vocavit? Liceat igitur adulescentem aliquid de re dicere, quae proprius ad eum pertinet.

Quoniam ego non loquar de Latini sermonis vexata quaestione pronunciationis; non prius hoc faciam quam aetate ac studiis proiectus ipsam bene perspexero; nunc mihi sat est hanc linguam pronunciare quo modo me praecoptores docent, et quo arbitror semper usos esse per longum saeculorum ordinem decessores meos, incolas Romae huius, ubi natus sum atque commoror; conatus, quantum in me est, prosodiae errores vitare. Etenim, nolito timere clarissimus H. P.: debitus sonus vocalis longae vel brevis prorsus Romae non negligitur; solum antiquo adagio applicatur: Ne quid nimis.

Sed ut veniam ad punctum, propter quod praesertim calamum sumpsi, interrogationi: «Cur iuvenibus et pueris quaedam concedere in commentario non licebit?» aperte respondeo: Si de rebus agatur, quae de communibus vitae agant, bene ipsae adveniant; puto enim cuique posse gratas eas non evadere atque acceptas, ut festivos casus Frigidiani nunc iucunde atque utiliter legimus. Dicas item de historicis narrationibus, de epistulis, de argumentis etiam, quae ad grammaticam elocutionisque rationem pertineant. Sed semper scripta prorsus removeantur quae classicam latinitatem et argumento et stylo aliquo modo non redoleant; scripta praesertim dico, quae eas lectiones easque exercitationes tantum revocent, quibus in scholis ad primum latinitatis gradum adducimur, ac nonnunquam non sine taedio.

Arbitror enim *Almam Romam* non esse neque esse debere commentarium, ut dicunt, scholasticum, sed auxilium praeter scholam ad institutionem cognitionemque Latini sermonis complendam, ea post tissimum ex parte quam a schola nunc frusta requirimus, ut scilicet sensus cogitationesque nostri temporis la-

tine exprimere valeamus. *Latine*, inquam, nimis ut quam minime nos amoveamur ab eis litteris quas amare didicimus, quas neglectas videre non possumus, quemadmodum adpetimus quamcumque artis formam; nam omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, — hoc ipso anno Cicero me docuit — habent commune quoddam vinculum et cognatione quadam inter se continentur.

Sed obiicitur, *Almam Romam* difficultorem esse atque ideo a lectione iuvenes nos avertere. Aio, contra, volentes attrahere. Ego ipse non infitior, quin etiam candide fateor, saepe difficultatibus occurrisse; tum vero lexicon sumpsi, interdum etiam grammaticam, atque magna cum animi satisfactione difficultates superavi. Imo, plura feci: verba locutionesque adnotavi primum mihi exhibita in libello, qui mihi nunc perutilis est, et in futurum etiam alios fortasse iuvabit, ut tu ipse, optime Moderator, in *Almae Romae* fasciculo II^o proponebas.

Postremo, num credit clarissimus H. P. iuvenes nomen suum dedituros nostro commentario, quod ibi inveniant duas paginas ad specialem ipsorum usum? Nonne potius dubitandum est quin alii, non iuvenes et numero plures, subnotationem suam idcirco recusent?

Haec habui ex mea parte animadvertisse; velit patronus H. P. meas gratias accipere quod mihi occasionem dederit Latino sermone primum scribendi; ipseque, et tu, optime Moderator, lectoresque omnes (si hanc epistolam meam edere volueris) mihi parcant, si in stultitiam aliquam inciderim, aut, quod dii avertant, ipsam grammaticam quandoque vulneraverim. — Valete.

Scrib. Romae (*Via de' Prefetti*, 12), postridie Id. Iul. MCMXIV.

De aliis, alias.

IOSFOR.

ANNALES

Graviter eo magis dolemus **de atrocissimo bello per Europam furiente** hodie scribentes, quod desideratissimi Patris illius, Pii PP. X., menti obversatur figura, qui, ex sanctissimo ministerio exque ipsa animi sui propensione Princeps pacis, quum eam frustra a bellantibus invocasset, terramque filiorum sanguine undique cruentari vidisset, horribile spectaculum sustinere ultra non valuit, infractumque cor humanissimum reportavit. Precetur Ille, qui sese libenter in holocaustum obtulit, a Deo quem nunc possidet, veniam, divinaeque iracundiae merita flagella avertat!....

Quomodo a Teutonis in Russos Gallosque bellum declaratum fuit iam in superiore numero **diximus**; exspectabant inde anxii totius orbis animi quanam ratione Itali hinc, inde Angli, ex suo cuiusque cum dimicantibus populis foedere, sese gererent. Illis autem facile fuit ostendere **casum foederis** in hodierna re ea praesertim de causa a se alienum, quod bellum non quidem ad violata iura tegenda, pro quibus foedus ictum fuerat, inditum esset, neque pectoris consilio prius requisito; itaque neutram se partem vigilantes sequuturos Itali enuntiarunt. Anglis, contra, idem non contigit: quum enim Germani palam propositum suum aperuissent, quo citius in Galliae fines irrumperent, Luxemburgi Belgarumque quietem turbare, pro qua iam ab anno MDCCCLXXV Anglia vadim sese dederat, Anglos quoque belli participes in Germanos fieri oportuit.

Reapse acerrime in Belgica pugnatum est, heroicē, quamquam inaniter, contra redundantes Germanorum copias illius regni incolis resistentibus, qui Leodium,

Bruxellas, Namurcum, Mechliniam urbes occupatas ab hoste viderunt et Lovanium prope solo aequatam, Antuerpiamque civitatis gubernium regalemque familiam transferre adstricti sunt.

Victoria Germanorum arma, in septem exercitus divisa, quibus ipsi Borussiae Bavariaeque principes regni haeredes praesunt, et a Belgica ad Helvetiam usque producta, Galliam deinde pervadunt et ad Lutetiam Parisiorum contendunt. Atque primum hostes ex Lotharingia abigunt, quumque Tullum versus ac Verodunum, capta Luneville arceque Longwy, magnis itineribus procedant, Pau, Gallicum imperatorem, cogunt loca in Alsatia iam insessa deserere, militesque suos cum reliquo exercitu coniungere ad supremos conatus contra invasores periclitandos.

Iamvero Russi in Borussia apparent. Incerti quidem et contradicentes huius impetus nuncii; id tamen affirmant, Germanos noluisse ibi acriter nunc obsistere; ea fortasse de causa, quod agminibus tantum sibi uti licet mobilibus, quae vocantur, exque territorio delectis, quaeque imprudens esset magnis proeliis subiicere. Fortiter magis Russis Austriae repugnant; qui postquam eos ad Krasnik vicerunt, proelium cum iisdem commiserunt, quod etiam nunc quum scribimus sex iam, incerto Marte, diebus perdurat, maximum forte quod historia viderit. In loco enim per Lublinum, Krasnostaw et Grubieszow quadringenta chilometra perducto, tricies circiter centena millia hominum conflictari dicuntur!

Quidnam denique in Serbia, unde tot humani sanguinis rivi repetendi maxime sunt? Si huius gubernii asseverationibus danda fides esset, iam illic de Austriacis actum est! At rerum statum nos ita sese habere verisimile putamus; Austrorum nempe imperium alibi, ut vidimus, im-

pensius distractum non multas copias ibi reliquisse et castrorum propugnationi unice intentas. Sed tamen quum Potjorek, earum duci supremo, favorabilis occasio sese obtulerit, civitatis finibus transactis, eas ad Sabatz urbis eversionem deduxisse et ad hostis, in fugam missi, insectationem usque ad Losnitza oppidum; indeque ad stationis locum prudenter revocasse. Hinc Serbis argumentum mirabilium victiarum praecinendi, Nigri-montis regno adsonante, quod etiam in campum audacter descendit.

Nec praeterea id solum: Iaponia enim, cuiusdam foederis cum Anglia iam prius compositi causas innectens, et ipsa Teutonis bellum proxime movit, nullaque oppositione distenta, Kiao-Ciao Germanorum coloniam facile occupat, pergitque de Asiaticis aliis idem facere.

Dum haec tristia geruntur, ab iisque mentes viresque Europaearum gentium obtinentur, in **Albaniae principatu** seditionis cives, maiore animo sumpto, ad extrema accedunt, Principemque civitati impositum demigrare cogunt cum nulla profecto spe redeundi. Dictitant, ipsius civitatis administrationem a rebellium principibus iri susceptum. Ita rursus nodus efformabitur, cuius solutio non satis expedita offeretur.

* *

In Mexicana republica Carranza dux urbem caput ingressus triumphantium more est; nunc vero videndum utrum tanta apud cives fruatur clientela et gratia, ut difficilem Huertae illius successionem tuto assumere valeat.

Kal. Septembr. MCMXIV.

POPPLICOLA.

ROMA SACRA

Summi Pontificis obitus.

Pius PP. X iamdiu arteriosclerosi laborabat, qui morbus eius corporis bronchiorum ramis primo vere superioris anni MCMXIII graviter insidiatus est. Vicit, tamen robur, quo, licet iam proiecta aetate, Augustissimus Vir truebatur; atque ita tum vicit, ut plurium superiorum annorum vires resumpsisse videretur. Quum vero horribile quo nunc vexatur Europa bellum incenderetur, quod sanctus vir impedire omni quo sibi liceret conatu frustra contendat, tantaeque sanguinis filiorum suorum effusionis anxius sollicitusque esse coepisset, cum animo vires defecerint triumphalemque viam grassanti morbo aperuerunt. Die xv mens. Augusti Emo. Purpuratus Patri S. R. E. Cancellario, qui cum Albanensium civium manu eum invisit hortabaturque ut moestitiam depo-

neret suaequa valetudini caveret, Sanctissimus Pater aperte fassus est a bello illo proximam mortem sibi esse paratam! (1)

Insequenti die febris accessit rediitque bronchiorum vetus affectio, quae tamen levis nec magni momenti apparuit usque ad diluculum diei xix, quando febris ardentior facta est angustiorque anhelatio. Hora circiter undecima fere ex improviso eo per ventum est, ut spiritus intercludi videretur. Tum S. Eucharistia infirmo oblata est, quam religiose Viatici more Ille sumpsit, adstantibus nonnullis Patribus Cardinalibus, qui fortuito in aedes Vaticanas convenerant, ut certiores fierent de statu Pontificis. Accepto

(1) Eius verba haec ad amussim fuere: «Immane hoc facinus supremum ictum mihi intulit!»

Christi corpore, re vere et nomine Pius ad meditationem se composuit, quasi a terrenis rebus omnino abstractus; sed brevi: qui enim circumstabant in pulvinum omni vigore destitutum concidere eum summo cum animi moerore viderunt. Oleo sancto eius corpus tum inunctum est a Praefecto Sacrarii Apostolici, cooptaeque preces de animae commendatione; quando vita quasi redire apparuit, sensimque angorum remissio. Fallices vero spes; ad vesperum enim imminantis mortis indicia clare supervenerunt; ad medium circiter noctem post crebram ad Deum supplicationem a Pontifice fervide dictam, deficiebant cum loquela sensus; hora prima cum momentis quindecim diei xx mens. Augusti MCMXIV magnam Pii X. P. M. animam exutam corpore Deus suscepit...

Eodem mane Eminentissimus vir Salesius Card. Della Volpe, S. R. Ecclesiae Praefectus seu Camarlingus a defuncto Pontifice in ultimo consistorio designatus, Pii PP. X obitum iuxta ritum recognoscebat, atque simul, quia ex Illius testamento praecipiebatur ut corpus intactum relinquatur neve praecordia, contra morem, inde extraherentur, iubebat corpus ipsum iam cohorti nobilium stipatorum custodiae demandatum, iniectis pharmacis quae pro tempore incorruptum servarent, episcopalibus insignibus vestitum in throni aulam pomeridianis horis deduci aulicorumque illustriumque virorum pietati ibi relinquui, donec, insequenti die, hora nona ante meridiem, in Vaticanam basilicam Sacro comitante Senatu, transferretur. Quod apprime factum est.

Exuvias venerandi Pontificis in Sanctissimi Sacramenti Vaticano Sacello ita collocatis, datus est aditus Romanis civibus, qui undique ad dicendum vale extremum dilecto Patri, quem ante paucos dies benevole sibi benedicentem adhuc viderant, undique turmatim ac sine intermissione confluxerunt usque ad horam septimam supra decimam diei xxii mens. Augusti, quando, amotis omnibus quibus non esset adstandi ius, augustum cadaver in feretro compositum est et in cryptis Vaticanis sepultum. Notitia rerum a tanto Pontifice gestarum posteris

tradita est inscriptione quae sequitur, in ipso feretro clausa:

PIUS X PONT. MAX.

IV. . NONAS. IVNIAS. ANNO. MDCCXXXV IN. OPPIDVLO. TARVISINAE. DIOECESIS RIESE. NATVS. EST. PARENTIBVS. TEN- VIORIS. QUIDEM. FORTVNAE. SED. ANTI- QVAE. VIRTVTIS. IOANNE. BAPTISTA. SARTO ET. MARGARITA. SANSON. EIQVE. AD FON- TEM. SALVTARIS. LAVACRI. IMPOSITA. SVNT NOMINA. IOSEPHVS. MELCHIOR

ADOLESCENS. ACRI. INGENIO. OPTIMAQUE INDOLE. SANCTE. INSTITVTVS. PROBEQVE ERVDITVS. AD. SACERDOTIVM. MVNVS CVRIONIS. MATVRE. SVSCEPIT. DIV. CVM LAVDE. FRVCTVOSAE. DILIGENTIAE. ADMINISTRAVIT. ANNO. MDCCCLXXXIV. EPISCO- PVVS. MANTVANVS. FACTUS. NONO. ANNO POST. PATER. CARDINALIS. ET. PATRIARCHA VENETIARVM. PRIDIE. NONAS. AUGVSTI A. MDCCIII. VNIVERSAE. ECCLESIAE. PRAE- POSITVS. ACCEPTO. PII X. NOMINE. SOL- LERTIAM. PASTORALEM. VSV. RERVM. IN OMNI. GENERE. EXPOLITAM. AD. CATHE- DRAM. BEATI. PETRI. ATTVLIT

SACRICOLAS. PRAECIPVIS. CVRIS. COM- PLEXVS. SEMINARIA. ITALIAE. CONGRVEN- TER. TEMPORIBVS. ORDINAVIT. DISCIPLINAM THOMAE. AQVINATIS. IMPENSE. PROMOVIT STVDIIS. REI. BIBLICAE. PROVEHENDIS ATHENAEVM. IN. VRBE. INSTITVIT. RE- CTAM. RATIONEM. DE. REBV. DIVINIS CONCIONANDI. PRAESCRIPSI. CLERV. CA- THOLICVM. AD. SVI. ORDINIS. OFFICIA SERVANDA. DILIGENTER. COHORTATVS. EST

SEMPITERNAE. POPVLORVM. SALVTIS. PER- STVDIOSVS. DE. CHRISTIANA. DOCTRINA RITE. TRADENDA. PRAECEPIT. SANCTISSIMAE EVCHARISTIAE. CVLTVM. VSVMQVE. FRE- QVENTEM. FOVIT. EIVSDEM. PVERIS. CO- PIAM. MATVROREM. FECIT

DECOREM. DOMVS. DEI. IN. PRIMIS. DI- LEXIT. MAIESTATI. SACRORVM. ARTEM. MV- SICAM. CONVENIENTER. SERVIRE. IVSSIT

VINDEX. CATHOLICAE. FIDEI. RECEN- TIORVM. ERRORES. QVI. VEL. OBEDIEN- TIAM. ECCLESIAE. DEBITAM. EVERTERENT VEL. AD. IPSAM. ECCLESIAM. FVNDITVS CONVELLENDAM. SPECTARENTE. VIGILANTER

DETEXIT . DAMNAVIT . LEGES . DE . CIVITATI-
BVS . AB . ECCLESIA . SEPARANDIS . REIECIT
EIVS . PROVIDENTIAM .ILLA . QVOQVE
ILLVSTRANT . SACRA . ROMANAЕ . CVRIAЕ
CONSILIA . ET . OFFICIA . APTIVS . CONSTI-
TVTA . VRBIS . PAROECIAE . AEQUABILIVS
DISTRIBVTAE . AVCTAEQVE . DECRETVM . DE
VVLGATA . BIBLIORVM . VERSIONE . EMEN-
DANDA . ITEM . DE . LEGIBVS . ECCLESIAE
IN . VNVM . CODICEM . REDIGENDIS
DENIQVE . AB . EO . PROPOSITO . QVOD
IN . PONTIFICATV . MAXIMO . INEVNDО . SV-
SCEPERAT . INSTAVRANDI . OMNIA . IN . CHRI-
STO . NVNQVAM . CESSAVIT

SANCTITVDINI . MVNERIS . APOSTOLICI . AD-
MODVM . FVIT . HVIVS . PONTIFICIS . VITA
CONSENTANEA . CETERIS . VERO . VIRTVTIBVS
MODESTIA . QUAЕ . ADMIRATIONEM . EFFI-
CIEBAT . CARITAS . QVAE . OMNIVM . RAPI-
EBAT . ANIMOS . PRAESTITERE . XIII . KAL.
SEPT. . ANNO . MDCCCCXIV . PLACIDO . EXITV
DECESSIT . LVCTVS . ET . MAEROR . ORBIS
CATHOLICI

VIXIT . AN . LXXIX . M. II . D. XVIII

VALE . PATER . SANCTISSIME
ET . VIVE . AETERNUM . IN . CHRISTO.

Novis Pontificis electio.

Novendialibus piacularibus supplicationi-
bus iuxta ritum S. R. Ecclesiae expletis,
Sacer Purpuratorum Senatus die xxxi mens.
Augusti in Conclave apud Vaticanum con-
venit.

Die III mens. Septembbris ad meridiem
praefatus Emus. Card. Salesius Della Volpe,
quippe ex Diaconorum ordine primus, Ro-
manorum civium immensae multitudini ex
peristylo Petrianae basilicae annunciatbat
novum Pontificem electum esse IACOBUM
DELLA CHIESA, Archiepiscopum Bononiensem,
qui sibi nomen imposuit BENEDI-
CTUM XV, atque insequenti die dominica,
VI eiusdem mens. Septembbris, in Xystino
sacello triplici Summorum Pontificum cor-
ona redimitus est.

Iacobus Della Chiesa nobili genere natus
in civitate Genuensi die xxi mens. Novem-
bris MDCCCLIV, in ipsa Liguriae urbe capite
scholarum secundi ordinis atque iuris cur-

rus explevit. Romam deinde quum ve-
nisset, Capranicense nobile Collegium in-
gressus est, ut sacerdotalem vitam ample-
cteretur. In sacra quoque theologia doctoris
laurea coronatus, sacra primum litavit die XXI
mens. Decembris MDCCCLXXVIII. Tum in
Nobilium Ecclesiasticorum Academiam ad-
missus est et in Vaticanam Secretariam
Status, cui officio tum praepositus erat Ma-
rianus Rampolla Del Tindaro, qui, quum
Apostolicus Nunciis paulo post in His-
paniam missus est, eum a secretis secum
duxit.

Anno MDCCCLXXXVII Hispaniae illius Apo-
stolicae legationis praefectus in Sacrum Pur-
puratorum Senatum cooptabatur, Cardinalis
a Secretis Status a Leone PP. XIII renuncia-
tus. Is Iacobum Della Chiesa apud se revo-
cavit et usque ad Substituti munus promo-
vit, quod hic per plures annos etiam tenuit,
quando, Leone XIII vita functo, Emo. Car-
dinali Rampolla a Pio PP. X Raphael
Merry Del Val suffectus est; quum tamen
ab exercito sacerdotalis ministerii, in pa-
roeciali ecclesia praesertim S. Eustachii de
Urbe, nihil unquam remitteret. Bononiensi
archiepiscopali sede proprio pastore, Emo.
Cardinali Dominico Svampa, anno MDCCCVII
viduata, Pius ipse X P. M., qui Iacobi
Della Chiesa merita diu expertus erat, eum
illi destinavit, suaque ipsius manu in Xy-
stino sacello die XXII mens. Decembris eius-
dem anni consecravit; recens denique, in
Consistorio diei XXV mens. Maii huius an-
ni MCMXIV. Sacra Purpura auxit, titulo ei
assignato SS. Quatuor Coronatorum, et Ro-
manis Congregationibus Concilii et Caere-
moniali ipsi adtributis.

Ad proximum numerum:

*De Q. Horatii Flacci epistola ad Au-
gustum (scripsit I. B. FRANCESIA). —
Fridianus. — Vacui temporis hora, etc.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

VITUS

Concordes animae modulantur carmina Christo:
Sunt animi peregre celeres sine corpore, iamque
Nunc procul a terris elata mente vagantur.
Hic in defossis specubus simul ore queruntur
Infantes, larvisque simul terrentur et umbris,
Atque vocant dulcem caeco sub carcere matrem:
Filiolo lacrimans extrema dat oscula mater.
Urget ubique dolor! primâ vespallida nocte
Progreditur mulier, veluti vaga larva, per umbras.
Huc illuc pavitans clementia lumina volvit.
At vox subter humum demulcit amabilis aures,
Mox aliae voces respondent dulce priori:
Ecce melos sensim sacrum mutatur in hymnum:
Iam carcer cantu tremebundo palpitat omnis,
Tum consecratur studiosa puella canorem:
Ingeminant tenebrae; dubitantem deinde lucernam
Attollit custos: Virgo pia tendit ad arctum
Descensum: subit inferior iam carceris antrum.
Tres simul agnoscit concordi voce canentes:
Vitus adest: cantat nutrix vetulusque magister.
Tangit humum genibus Virgo: — Pulcherrime rerum,
Grates, (exclamat), quî possum reddere dignas?
Tu medicante manu pacem mihi, Vite, tulisti. —
— Non ego, (Vitus ait), Christus dedit ipse salutem.
Grates redde Deo: nunc Christo vive valeque. —
Tum surgit Virgo, puerisque dat oscula sancto.
Tempus erat cubitum discedere: nocte silenti
Iam lacrimis suffusa genas loca tristia linguit,
Et taciturna domum passu redit alite tandem:
Iam sapit, ac sentit grandescere Numina Christi....
Mane novo, populo spectacula praebet arena:
Undique fit murmur: superant scalaria cives:
Iam cunei fervent tunicatâ plebe frequentes:
Ecce, velut mare, Caesareum fremit amphitheatrum,
Lictores tandem: « CIVES ADVERTITE » clamant:
Ingreditur Caesar Tyrio spectabilis ostro,
Qui circumspiciens podio considit in aureo:
Consedere patres iuxta castaque puellae.
Pallida, corde dolens hic filia Caesaris adstat.
Sunt circum multi sceleris letique ministri:
Arrectis oculis cives atque auribus adstant.
En adit immensam Vitus moriturus arenam.

Custos et nutrix succedunt passibus aequis:
Flexis poplitibus, tacito simul ore precantur.
Fit tremor in circulo: magnus ferit aethera clamor:
Ecce leo fremit impastus clathrosque relinquit.
Huc illuc saliens fulvâ spatiatur arenâ:
Concussitque iubam: quatit auras ira frementis.
Tum puer attonitus cœli convexa tuetur,
Atque levem spirans auram sic ore susurrat:
« O PATER OMNIPOTENS, HABITAS QUI CAERULA TEMPLA,
DA VENIAM NOBIS, MISERIS SUCCURRE BENIGNUS ».
Tum posita feritate leo procumbit arenâ.
Magnanimusque pium puerum miratur et haeret,
Tanquam sit visae correptus imagine formae.
Protinus exsurgens lambit bonus ore iacentem;
Ecce iubam manibus Vetus demulces et orat:
Ut nitet ore decus! rutilis coma florida cirris
Iam leviter nutat clementi flamine pulsa.
O quam pulcher adest puer hîc! ut purus! ut albus!
Aspicit haec inhians spectacula Regia Virgo,
Ac tacitâ pia mente Deum veneratur et orat,
Ut servet puerum: fremitusque per ora cucurrit.
Omnia corda micant: haeret defixus in uno
Obtutu populus: resonat clamore theatrum:
Pars pedibus quatunt terram palmasque crepantes
Attollunt: alii plangunt veniamque precantur.
Tum torvus Caesar populum circumspicit, atque
Plebs Domino rerum pugnis verbisque minatur:
Omnes conclamat; nemo stat pollice verso:
Cogitur immanis tum plebi cedere Caesar.
Eheu! supplicium puerum crudele manebat!
Saevit non longo post tempore Principis ira:
Custos et nutrix fundunt cum sanguine vitam:
Sternitur in rigidâ, populo miserante, catastâ
Vitus: carnifices caedunt pia membra flagellis:
Caede madescit humus: moriens Puer integer aethram
Suspicit, atque animam diris cruciatibus efflat!
At tellus gemuit sancto madefacta cruento;
Ecce ruunt subito veterum simulacra Deorum.
Intonuere poli, tonitru reboantibus antris,
Et rapido caelum secuerunt fulmina lapsu,
Impiaque ingentem timuerunt saecla ruinam:
Insontem puerum Princeps expalluit ipse.

FINIS.

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

BENEDICTUS PP. XV

“Almae Romae,, supremum Patrocinium suscipit

Quum, superiore mense, Iacobum Della Chiesa, Bononiensem Archiepiscopum, ad Petri solium evectum salutabamus, vox non e gestienti cuiusvis Christiani animo solum erumpebat, qui viduatae Ecclesiae citius ac dignissime provisum a Deo videret, sed etiam domestico tamquam gaudio perculta: in album enim sociorum novum Pontificem iamdiu retulisse gloriamur; indeque bonum faustumque auspicium incoepui nostro agere licebat.

Longe tamen ego scribens aberam ut cogitarem haec vota brevi, imo et praeter spem iri admissum, hodieque sociis lectoribusque nostris referre me posse, Benedictum PP. XV supremum Almae Romae commentarii patrocinium ultiro, pro sua benignitate, suscepisse. Res primis ipsis ab inito Pontificatu diebus evenit, iisque circumstantiis, quas ut mihi recolere, ita et vobis, qui legitis, audire gratissimum profecto est.

Coram Sanctissimo sum admissus cum perillustri viro Nicolao Marini, Supremi Apostolicae Signaturaे Tribunalis a Secretis, ut, quo die Sanctae Sedis magistratum accensi debitum honoris tributum redderent, nos ipsius Supremi Tribunalis personam gereremus. Sedebat in throno Pontifex, nobili aula sua stipatus; nosque ut adspexit advenientes, proprio utriusque nomine compellavit et humanissime statim adlocutus est. Atque primum clarissimum Marinum de ipsius laboribus est percontatus, deque historicis eius inquisitionibus circa Nicolaum Albergati, civilium rerum apud Bononienses virum peritissimum, quarum volumen aliquot ante annis ille edidit; deinde ad me conversus, quum ut starem indulenter invitasset (genuflexus enim remanseram):

— Et Alma tua Roma? — inquit.

— Pater Beatissime, — respondi — Alma Roma laetitia exsultat, quod in fasciculo proxime edendo enunciare poterit, te inter socios eius primores adscribi pro tua benevolentia ultiro voluisse.